

## D. Magni Ausonii Ordo nobilium urbium.

Adiectis annotationibus in linguam Germanicam partes priores VI.  
convertit

*Joannes Christianus Guilielmus Augustus Hopfensack.*

**D**:<sup>1)</sup> Magnus Ausonius sub finem Iustri secundi saeculi IV. aerae nostrae Burdigalae natus est, patre Julio Ausonio, matre Aemilia Aeonía. De parentibus ceterisque rebus domesticis Ausonius noster in carminibus saepius mentionem fecit, quae omnia a Josepho Scaligero summa diligentia collecta in vita Ausonii cum fere omnium in manibus sint,<sup>2)</sup> hoc loco uberius repetere a nostro consilio alienum putavimus, satiusque habuimus paucis tantum rei summam attingere. Ausonius noster, diligenter educatus artibusque optimis eruditus, trigesimo aetatis anno Burdigalae Grammaticus et postea Rhetor lectus est, a quo docendi munere ab Imperatore Valentiniano maiore avocatus est, ut eius liberos Gratianum et Valentinianum minorem doceret. Quae necessitudo cum domo regia Ausonium ad summum honorum in republica Romana fastigium, si maiestatem imperatoriam exceperis, evexit. Post quaesturam enim, quam Ausonius ab Imperatoribus Valentiniano maiore et Gratiano acceperat, Praefectus Praetorio Italiae et postea Galliarum, annoque CCCLXXIX p. Ch. n. cum Q. Olybrio Consul creatus est. Occiso Gratiano a Maximo tyranno invitatus in palatio retentus, denique ab Imperatore Theodosio post Maximi cladem missionem impetravit et in patriam rediit, ubi senex, octogenario maior, diem obiit. Haec de Ausonii vita.

Inter scripta a poeta nostro nobis relicta carmen est de nobilioribus Imperii Romani urbibus, quod ab Urbe Roma exorsus, descriptionem Burdigalae, urbis patriae, conclusit. Compositum est hoc carmen ex quatuordecim partibus, continetque versus centum sexaginta sex, quorum quadraginta patriae laudibus consecravimus noster, ita ut sedecim urbium antecedentium descriptio centum viginti sex versibus absoluta sit. Qua versuum inter singulas urbes distributione nonnunquam in eam orationis brevitatem noster incidit, qua non minimam difficultatem e Latino in Germanicum sermonem vertenti asserat, praesertim eodem versuum numero quae latine, pro huius linguae natura, in brevius cogi possunt, germanice reddere conanti. Cuius rei vestigia permulta in nostra versione apparitura quamvis non nesciamus, quia versificationis angustiis pressi ad auctum dactylorum numerum, monosyllaborumque licentiam quandam refugere coacti sumus, veniam tamen ab iis impetramus, qui, opera et labore in huiusmodi contentionibus consumptis, experientia docti sunt, non quemque nodum solvi posse.

1) D. significat in nominibus veterum Romanorum nihil aliud quam praenomen Decimus. Decius, quod nomen nonnulli praefendum putarunt, nomen gentile est, minimeque hoc literarum compendio exprimi potest.

2) Invenitur haec Ausonii vita in „Josepho Scaligeri Ausonianarum lectionum libr. II. ad Eliam Vinetum Lugd. Bat. 1578, et repetita est in editione Bipontina, ubi etiam adiecta est notitia literaria de Ausonio, ex J. Alberti Fabricii Bibliotheca Latina, Lib. III, cap. 10.

Inscriptio carminis nostri in variis editionibus varia est, ut *Clarae urbes*, sive *de claris urbibus*, sive *Catalogus nobilium urbium*, sive *ordo nobilium urbium*<sup>3)</sup>, inter quas hanc, quia maxime ad carminis argumentum accomodata est, sine dubio praeferendam censemus. Id enim maxime in hoc carmine spectavit noster, ut nobilissimas imperii Romani urbes in dignitatis quendam ordinem redigeret, et urbem quamque in eo, quo illo tempore digna videretur, loco poneret. Quod propositum ea subtilitate et diligentia peregit, ut eas urbes, inter quas diiudicare non ausus esset, utram alteri praeferret, binas coniungeret. Optime igitur carmen, quod *ordinem* accurate definitum exhibet urbium, *Ordinem nobilium urbium* inscribemus.

Ardore poetico non nimium excellit hoc carmen Ausonianum, nec mirum, si consideraveris, quantas in miserias vel nostrae aetatis poetae geographici incidere soleant. Etiam in rebus ipsis tractandis poeta in hoc carmine sibi parum constat. Pauca enim, pro rei natura, epigrammatice adumbravit, alia contra, oratione tumida et inflata usus, magis erudite quam poetice ita extraxit, ut vim sermonis poetici aequae ac consilii rationem desideres, statimque appareat temporum corruptela, quibus pulchri sensus in peius mutatus erat. Attamen non sine delectatione quadam est hoc carmen, quod nobis imaginem urbium quondam excellentium, inferiore aetate quasi depictam, ante oculos ponit, qua de causa eius partem nobis elegimus, ut officio nostro in programme scholastico conscribendo satisfaciamus, et quae intacta reliquimus alio tempore absolvere nobis proposuimus.

## I. R o m a.

*Prima urbes inter, divum domus, aurea Roma.* | *Erste der Städte, der Göttlichen Haus, ist die goldene Roma.*

Omnes editiones priores versum de urbe Roma coniunxerunt cum versibus de Constantinopoli et Carthagine sub numero I, idque etiam Wernsdorfius defendit<sup>4)</sup>. Qua in defensione hoc potissimum argumento utitur, quod poeta de Constantinopoli et Carthagine, quasi loci secundi urbibus, non aliter, quam cum relatione ad primam Romam egerit. Sed hoc argumentum, quia nimium probat, parum firmum esse quisque intelliget, qui sequentia accuratius examinabit. Illa enim ad Romam relatio, quae sine dubio locum habet, non solum in Constantinopolim et Carthaginem, sed etiam in Antiochiam et Alexandriam, in Capuam et in Aquileiam cadit, quorum locum poeta eodem modo numeralibus ad primam Romam referendis constituit. Separandam igitur Romam, solamque sub numero I. ponendam censemus, ut etiam Tollius et Weberus fecerunt.

*Prima.* Hoc vocabulum tantam vim primo loco habet, ut is verborum ordo in versione omnino retinendus videretur.

*Divum domus.* Divum domum, i. e. deorum sedem poeta vocat Romam, quoniam antiquitus ibi Diis cultus more maiorum adhiberi solebat, minimeque Ausonius propter haec verba paganæ

3) *Catalogus nobilium urbium* appellatur hoc carmen in editione Veneta Thadd. Ugoletti an. 1500 et Lugdunensi Gryphii an. 1549.

*Clarae urbes*, vel *de claris urbibus* scripserunt Elias Vinetus et Josephus Scaliger, quos edit. Bipontina in fronte paginarum sequitur.

Titulum *Ordo nobilium urbium* autoritate codicis veteris a Vineto et Scaligero laudati, receperunt Jac. Tollius. (Amstelod. 1671.) Joan. Bapt. Souchay (Paris. 1730 in usum Delphini), ed. Bipontina in fronte totius opusculi, cuius exemplum et in fronte totius libri et in fronte singularum paginarum sequutus est Weberus in Corp. Poetar. Latinorum. Wernsdorfius in Poet. lat. min. Tom. V, Part. III, substituit in uno titulo: *Ordo nobilium urbium*.

4) Poet. Latin. minor. Tom. V, Part. III, p. 1313 et 1314.

superstitioni deditus haberi potest. Vel Christiano poetae licet Romam his verbis, quae totius historiae Romanae testimonio nituntur, appellare, nec intima cum imperatoribus Christianis Ausonii coniunctio ullam de eius religione dubitationem relinquit.<sup>5)</sup> Romam vere antiquitus deorum sedem et domicilium habitam esse permulti veterum scriptorum loci docent, ex quibus tantum notissimum Virgili locum nominamus.<sup>6)</sup>

*Aurea Roma.* *Auream* Romam etiam alii poetae vocant<sup>7)</sup>. Hoc loco significatio vocis aureae notioni primariae propinquior est, quam alio verborum nexu, indicatque splendorem et divitias Romae. Wernsdorfius interpretatur *auream* Romam *pulcherrimam*, et affert locum Virgilio<sup>8)</sup>, quo Roma *rerum pulcherrima* appellatur. Sed ex hac locorum comparatione nihil aliud apparet, quam Romam a poetis etiam *pulcherrimam* vocari, quod fieri posse, nullo testimonio eget. Etiam Venus et aurea et *pulcherrima* vocatur, neque tamen statim inde colligendum est, Romam eodem, quo Venerem, sensu auream vocari.

Ceterum poetae brevis hoc loco maxime laudanda est, qui Romam uno tantum versu quasi attigerit, et hoc modo omni comparatione maiorem declaraverit. Quas enim potissimum e rebus tam multis notatu dignis eligeret, quibus Romae splendorem nobis quasi ante oculos poneret? Sic uno versu indicavit, totam urbem Romam in suo genere singularem esse.

## II. Constantinopolis et Carthago.

Constantinopoli assurgit Carthago priori,	Constantinopel als höh're begrüßend erhebt sich Carthago,
Non toto cessura gradu, quia <i>tertia</i> dici	Ganz zurück zu treten nicht willens, weil <i>Dritte</i> zu heissen
Fastidit, non ausa locum sperare <i>secundum</i> ,	Sie verdriesst, nicht wägend die <i>zweite</i> der Stellen zu hoffen,
Qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia praefert,	Welche sie beide gehabt. <i>Die</i> hebt langjähriger Reichthum,
3. Hanc fortuna recens. Fuit haec, subit ista, novisque	<i>Jene</i> das neuliche Glück; <i>die</i> war, ihr folget die andre,
Excellens meritis, veterem praestringit honorem,	Welche durch neue Verdienste verdunkelt die Ehre der Vorzeit,
Et Constantino concedere cogit Elissam.	Und vor Constantinus Elissa zwinget zu weichen.
Accusat Carthago deos iam plena pudoris,	Schon beklagt voll Schaam Carthago sich über die Götter,
Nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.	Ständ' auch hier sie zurück, die Rom kaum gönnte den Vorzug.
10. Componat vestros fortuna antiqua tumores.	Euern sich brüstenden Stolz beschwicht'ge was sonst ihr gewesen!
Ite pares, tandem memores, quod numine divum	Geht denn zugleich, und bedenkt doch endlich, dass göttliches Walten

5) Varias virorum doctorum de hac re sententias collegit Fabricius l. l. Libr. III, c. 10, ad quem eos, qui rem diligentius explorare cupiunt, relegamus.

6) Aeneid. VIII, 349 seq.

7) Ovid. de arte amandi Lib. III, 113, Martial L. IX, epigr. 60, v. 2. Claudian. Fescen. II, v. 16.

8) Georg. II, 534.

Angustas mutastis opes et nomina: tu quum

Euch den geringen Besitz und Namen verwandelte,  
weil du,

Byzantina Lygos, tu Punica Byrsa fuisti.

Byzantinerin, Lygos, du, Punicer, Byrsa ge-  
wesen.

Coniunxit noster Constantinopolim et Carthaginem, ut eiusdem fere dignitatis urbes, quae de loco inter se adhuc contenderent. *Assurgit* Carthago Constantinopoli priori, quia Constantinopolis inde a Constantini Magni temporibus sedes imperatorum fuerat, sed non toto gradu cedit, quia illo tempore, quo plures imperatores rem publicam Romanam regebant, Constantinopolis non sola imperatorum sedes erat, Carthagoque antiqua gloria et opulentia regias urbes equiparabat. Qui alicui assurgit, honoris quidem ei significationem dat, sed minime hac re confitetur, se illo omnibus rebus inferiorem esse. Maxime igitur his urbibus comparandis accomodata sunt Ausonii verba.

*Qui fuit ambarum.* Gryphiana editio male coniungit „qui fuit ambarum vetus“, ita ut vetus ad locum referendum sit. Sed vel inter tirones constat, antiquitus Byzantium non secundum inter urbes locum obtinuisse, itaque distinguendum est *vetus* ab antecedentibus, coniungendumque cum *opulentia*, ut *vetus opulentia et recens fortuna* sibi opponantur. Barthius coniecit poetam scripsisse „qui fuit ambarum“, quam emendationem parum ad Ausonianum sermonem accomodatai censemus.

*Fuit haec.* Vox fuit hoc loco singularem vim, totamque attributionis potestatem habet, id quod ipse vocabulorum ordo docet, quia *esse*, ubi attributionem tantum copulat cum subiecto, postponitur; ubi vero attributionis vim habet, praeponi solet. Eandem vim habet *fui* notissimo Virgillii loco<sup>9)</sup>, ubi idem verborum ordo est.

*Subit ista.* Subire h. l. est paulatim succedere. Carthago Ausonii temporibus nondum toto gradu inferior erat Constantinopoli; sed tantopere dignitate et amplitudine crevit Constantinopolis, ut tempus, quo sola secundum locum esset occupatura teneret, non longe abesse videretur.

*Praestringit.* Gryphiana habet *perstrinxit*, sed praesens praefendum est, quia certamen urbium inter se de dignitate contententium illo tempore nondum finitum erat. Perstringere et praestringere in codicibus saepius permutantur, idque quomodo fieri potuerit docet Forcell. H. l. praestringere praefendum est.

*Constantino concedere cogit Elissam.* Urbium conditores pro urbibus ipsis positi sunt, nec in Elissa haesitandum est. Elissa sive Dido sane Romanam Carthaginem non condiderat, sed poeta, ut totus locus docet, Carthaginem antiquam et novam unam facit.

*Nunc quoque.* Nunc non solum ad tempus, sed potius ad universum utriusque urbis comparisonem referendum esse quisque videt.

*Componat vestros cet.* Ingeniose poeta transit ad antiquissima tempora utriusque urbis, ut admonitione pristinae exiguitatis quasi compescat aemulationem inter se de dignitate certantium.

*Lygos* antiquum nomen Byzantii esse docet solus Plinius.<sup>10)</sup> Solinus transtulit hoc nomen non ad urbem ipsam Byzantinam, sed ad promontorium Chrysoceras; Salmasius vero satis docuit, Solinum h. l. in interpretandis verbis Plinianis errasse. Manifesto Ausonius cum Salmasio consentit.

*Byrsa* notissimum arcis Carthaginiensis nomen, quam Dido primam in litore Africano possuisse fertur.

9) Aeneid. II, 325.

10) Hist. Natur. Lib. IV, cap. 11.

### III. Antiochia et Alexandria.

<p><i>Tertia</i>, Phoebae lauri domus, Antiochea,          Vellet Alexandri si quarta colonia poni.          Ambarum locus unus: et has furor ambitionis          In certamen agit vitiorum. Turbida vulgo          5. Utraque, et amentis populi male sana tumultu.          Haec Nilo munita quod est, penitusque          repostis          Insinuata locis, fecunda et tuta superbit:          Illa quod infidis opponitur aemula Persis.          Et vos ite pares, Macetumque attollite nomen.          10. Magnus Alexander te condidit: illa Seleucum          Nuncupat, ingenuum cuius fuit ancora signum,          Qualis inusta solet, generis nota certa; per          omnem          Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.</p>	<p>Dritte wär Antiochia, das Haus Phoebäischen          Lorbeer's,          Wollt' als Vierte nur stehen die Alexandrische          Pflanzstadt.          Beiden gebührt ein Platz; auch sie treibt          wüthender Ehrgeiz          Zum Wettstreite der Laster. Verwirrt ist jede          von beiden          Meistens und unverständlich durch Toben des          rasenden Volkes.  <i>Diese</i>, vom Nile geschützt, und weil sie in          völlig entleg'nen          Gegenden sich verbirgt, stolzieret sie sicher          und fruchtbar;  <i>Jene</i>, weil Gegnerin sie treubruchlicher Perser          bestellt ist.          Gehet auch ihr denn zugleich, und erhebt          Macedoniens Namen!          Alexander der Grosse war <i>dein</i> Erbauer; Seleucus          Wird von <i>jener</i> genannt, von Natur mit dem          Anker gezeichnet,          (Wie mit gebranntem Maal), mit des Stamm's          Kennzeichen; denn gänzlich          Lief durch der Sprösslinge Reihe hindurch das          Bild des Geburtsmaals.</p>
---	---

Antiochiam et Alexandriam Ausonius quoque pares iudicat, tertiumque dignitatis locum utrique urbi attribuit.

*Phoebae lauri domum* vocat Antiochiam, ob multitudinem laurorum, qua haec urbs excellebat. Plinius hanc Syriae Antiochiam Epidaphnes (*ἑπιδάφνης*) cognominat<sup>11)</sup>, quod cognomen ab illo ingenti laurorum luco, qui ad vicum Daphnen, haud procul ab Antiochia, erat, derivandum est. Scriptores, qui de hoc luco mentionem faciunt, Wernsdorfius enumeravit, ad quem relegamus<sup>12)</sup>.

*Et has furor ambitionis cet.* His verbis animum seditiosum civium utriusque urbis increpat, cuius animi magna signa illis ipsis temporibus dederant. Alexandriae flagrante Theophili episcopi studio, quo nobilissimum Serapidis templum diruere conabatur, imperante Theodosio Magno ingens tumultus excitatus est. Scripsit Ausonius carmen suum de nobilibus urbibus post annum octogesimum octavum Saeculi III. p. Ch. n., ut ex versibus de urbe Aquileia apparet, quibus mentionem de Maximi tyranni morte facit. Serapeum deletum est anno post mortem Maximi, octogesimo nono p. Ch. n.<sup>13)</sup> Haec igitur recens Alexandrinorum seditio Ausonio turbas Athanasianas tumultusque antiquos illius urbis in memoriam revocasse videtur.

11) Hist. Nat. V, c. 21.

12) L. I. pag. 1316.

13) De Serapeo eiusque excidio cf. Ammianus Marcellin. Lib. XXII, 16, Rufinus Lib. II, 22. Orosius L. VI, c. 15.

Duobus annis ante hunc Alexandrinum tumultum etiam Antiochiae ingens seditio contra Imperatorem Theodosium exorta erat, cuius seditionis veniam post multas preces longioremque poenae metum vix Flavianus episcopus et Hiliarius, senator Antiochenus, ab imperatore irato impetrarunt<sup>14)</sup>.

*Haec Nila munita — locis.* Virgilius<sup>15)</sup> Massylorum gentes penitus repostas vocaverat. Noster hoc verbum transfert ad situm urbis Alexandriae, quae multo remotior erat a bello Persico, quam Antiochia, bellisque fere omnibus civilibus illius temporis intacta manserat.

*Illa quod infidis — Persis.* Aemula Persarum Antiochia vocatur, quod sedes et receptaculum belli Persici erat. Ut igitur Alexandria securitate situs, sic Antiochia munitionibus et praesidio militari excelebat.

*Macetum.* Macetae Macedones praeter nostrum etiam apud Lucanum, Valerium Flaccum, Statium, Silium Italicum et Claudianum vocantur<sup>16)</sup>. Inter pedestris orationis scriptores solus Gellius hoc vocabulo semel utitur<sup>17)</sup>. Macetia, pro Macedonia, latine non invenitur, praeterquam quod Scaliger in lection. Ausonianis I, 29 hanc vocem legit in loco Gelliano laudato.

*Nuncupat.* Nuncupare est aliquid nomine vocare, ex qua notione ceterae verbi significationes naturae convenienter duci possunt. Hoc loco significat, Antiochiam Seleucum conditorem nominare, id quod minus in Antiochiam, quam in Seleuciam cadit.

*Ingenuum cuius fuit — imago.* Haud facile inveneris locum Ausonii, quo inepta eruditionis ostentatione magis a sermonis poetici natura abhorreat noster. Quis enim in carmine de dignitate Alexandriae et Antiochiae expectet hanc de signo nativo Seleucidarum mentionem? Totam rem, quae alioquin non parvam difficultatem afferret, illustrat locus Justini<sup>18)</sup>, quem sine dubio etiam noster secutus est, cum apud nullum alium veterum scriptorum mentio de hac re facta sit. Supervacaneum est hunc locum exscribere, ad quem omnibus aditus patet.

#### IV. Treveri.

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,	Waffengewaltig erheischt längst Gallien Ehren- erwähnung,
Trevericaeque urbis solium, quae proxima Rhenos	Und der Trevererstadt Thronstutz, die nächst an dem Rheine,
Pacis ut in mediae gremio secura quiescit,	So wie mitten im Schosse des Friedens in Sicherheit ruhet,
Imperii vires quod alit, quod vestit et armat.	Weil sie die Reichsmacht nähret und sie bekleidet und waffnet.

14) Narrant hanc seditionem Antiochensem Zosimus L. IV, Sozomenus Lib. VII, c. 23. Inter novos historiae scriptores hanc seditionem summa diligentia tractavit Tillemont, Histoire des Emper. Tom. V, p. 741 seq. Exstant praeter historicorum narrationes huius rei nobilissima documenta in orationibus Libanii Rhetoris et orationibus Joannis Chrysostomi de status.

15) Aeneid. L. VI, 59.

16) Lucan Phars. II, 647. Valer. Flacc. Argon. I, 96. Sil. Ital. XIII, 878, XIV, 5. Statii Silvae L. IV, carm. VI, 106. Claudian. in Rufin. II, 279. Sed praeter Statium veteres editiones habent his locis Macedum, quod recentiores reiecerunt.

17) Gell. Noct. Attic. Lib. IX, 3.

18) Justin. Hist. XV, c. 4.

5. *Lata per extantum procurrunnt moenia co<sup>o</sup>stem:* | Weit auf gedehntem Hügel erstrecken die  
Mauern sich vorwärts;  
*Largus tranquillo praelabatur amne Mosella,* | Breit, in ruhigem Fluss vorüber gleitet die Mosel,  
*Longinqua omnigenae vectans commercia* | Tragend entfernten Verkehr verschiedenartiger  
*terrae.* | Länder.

*Celebrari Gallia gestit.* Editio Gryph. legit: *celebrabere Gallia gestis*, sed lectio a Wernsdorfio recepta, quam retinimus, magis ad sensum accomodata est. Gallia celebrari gestit, i. e. impatiens est, quod nulla adhuc de se mentio facta est, et vehementissimam laudis cupiditatem gestibus ostendit. Nonnulli legunt pro *gestit gestis*, quod parum ad sequentia accomodatum est.

*Treverica urbs* est Augusta Treverorum, quae et Treveri, eodem quo gens nomine, vocatur. De scriptura vocalis secundae huius vocis ambigitur: priores scripserunt *Treviri*, quod Ciceroianus ille verborum lusus ad Trebatium<sup>19)</sup> satis docet, seriores scribunt *Treveri*, qui igitur scribendi modus apud Ausonium retinendus est. *Treverica urbs* nomen habet a Treveris, populo Galliae Belgicae, qui antiquitus inter Rhenum et Mosam habitabat. Antiquum nomen huius urbis ignoratur; postea, colonia auspiciis Caesaris Augusti in hanc urbem deducta, appellata est Colonia Augusta Paterna Treverorum, ut lapides et nummi docent, sive Augusta Treverorum, ut Pomponius Mela memoriae prodidit<sup>20)</sup>.

De origine urbis Treverorum nihil satis constat, eademque, quae Galliae et Germaniae gentes obscuritas, etiam Treverorum primordia tegit. Carmen exstat, quod Wernsdorfius recepit<sup>21)</sup>, in quo origo Treverorum a filio Nini repetitur, quod commentum id saltem docet, Treverorum urbem iam illis temporibus antiquissimam habitam esse.

*Solium* vocat Ausonius Treveros eodem sensu, quo Ammianus Marcellinus domicilium principum<sup>22)</sup>. Urbs Treverorum sedes erat non solum inde a Constantini Magni temporibus Praefecti Praetorio Galliarum, sed etiam multorum Imperatorum, ut Constantii Chlorig, Constantini Magni, Constantini minoris, Constantis, Magnentii, Gratiani et Maximi.

*Quae proxima Rheno — quiescit.* Regiones ad Rhenum propter barbarorum incursiones tunc parum tutae erant; insignis igitur laus est munitionis Trevericae urbis, quod secunda et quieta erat.

*Imperii vires.* Gryph. legit *viros*, sed plurimae editiones praeferunt *vires*, i. e. copias s. exercitus. Alit, vestit et armat exercitus Augusta Treveorum annonae copia, lanificio, pannificio, armorumque fabricis.

*Largus — Mosella.* Versu imitatur poeta lenitatem Mosellae urbem praeterfluentis. *Omnigenae terrae.* Sensus est: Mosella commercio coniungit gentes diversas, maxime Gallicas et Germanicas.

*Commercium pro mercibus, quibus mercatura fieri solet.*

19) Ep. ad Famil. VII, 13.

20) Lib. III, c. 2.

21) L. l. pag 1382.

Nini Semiramis, quae tanto coniuge felix  
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,  
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,  
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,  
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.

22) Lib. XV, cap. 27.

### V. Mediolanum.

<p>Et Mediolani mira omnia: copia rerum,          Innumerae cultaeque domus, facunda virorum          Ingenia et mores laeti: tum duplice muro          Amplificata loci species, populique voluptas          Circus, et inclusi moles cuneata theatri:          Tempa, Palatinaeque arces, opulensque              Moneta,          Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,          Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,          Moeniaque in valli formam circumdata labro.</p> <p>10. Omnia quae magnis operum velut aemula              formis          Excellunt: nec iuncta premit vicinia Romae.</p>	<p>Auch in Mailand ist Alles bewunderungswürdig:          der Reichthum,          Ungezählte, geschmückte Palläste, der Männer          beredte          Bildung und freundliche Sitte, dazu die doppelte          Mauer,          Mehrend des Ort's Ansehn, und der Circus, des          Volkes Ergötzung,          Und keilförmig dazwischen der riesige Bau des          Theaters,          Tempel und Hofpalläste der Kaiser, die reiche          Moneta,          Und das Viertel, berühmt durch den Glanz des          Herculischen Bades,          Sämmtliche Säulenhallen mit Marmorgebilden          gezieret,          Und die Mauer der Stadt, wie ein Wall, mit          dem Graben umgeben.          Alles ist, wie wetteifernd durch grosse Gestalten          der Werke,          Ausgezeichnet, und nicht durch Roma's Nähe          verkleinert.</p>
--	---

*Mediolanum*, quod nunc a nostris Mailand, ab Italis Milano vocatur, celeberrimum Galliae Cisalpinæ oppidum, a Gallis Insubribus conditum est, testibus Livio et Plinio<sup>23)</sup>, caputque Insubrium erat, ut Polybius<sup>24)</sup> docet. De origine nominis Mediolani iam antiquitus disceptatum est. Ineptissima est sententia eorum, qui nomen a Lano et Medo, Gallorum ducibus, quos urbis conditores volunt, derivarunt. Haud propius ad veritatem accedunt, qui nominis originem a sue lanato simul et setoso, eo loco invento, repetunt, cuius opinionis vestigia apud Claudianum<sup>25)</sup>, deprehendimus. Sine dubio hoc nomen e lingua Gallicam ducendum est, quia plures eiusdem nominis urbes in Gallia inveniebantur<sup>26)</sup>, ut Mediolanum Aulercorum, hodie *Evreux*, Mediolanum Santonum, nunc *Saintes*, Mediolanum in Gugernis, quod etiam nostris temporibus nominis similitudinem cum Mediolano Italico retinuit, (*Moyland*) ut iam Cluverus docuit, Mediolanumque Ordovicum in Britannia, nec eorum sententiam reprobamus, qui huic nomini Gallico etymon cum nostra lingua commune tribuunt, Mediolanumque urbem media in planitie, inter duos fluvios sitam significare volunt.

*Facunda virorum ingenia*. Mediolanum liberalium artium studiis adeo excellit, ut vel tota, vel pars eius Novarum Athenarum nomen acceperit, ut inscriptio antiqua docet<sup>27)</sup>. E Plinii

23) Liv. V, 34. Plin. Hist. Nat. III, 17.

24) Polyb. II, 34.

25) Claud. de nupt. Honor. et Mar. 183.

26) Peutinger. Tab. Theodosii, Itiner. Antonini et Ptolemaeus.

27) Apud Gruterum, pag. 177 n. 4.



minoris epistola ad Tacitum<sup>28)</sup> cognoscimus, iam illis temporibus Mediolanum hanc laudem habuisse et ab adolescentibus literarum cupidis petatum esse. — *Duplici muro amplificata loci species.* Illustrat hunc locum Aurelius Victor<sup>29)</sup>, qui narrat Carthaginem, Nicomediam et Mediolanum a Diocletiano et Maximiano novis muris munitas esse.

*Moles cuneata theatri.* Cuneata vocantur theatra a sedilium ordinibus, in partes cuneorum similes divisorum.

*Inclusi.* Haeremus in explicatione huius vocis. Antiqui scriptores cum nullum auxilium afferant, ex rei ipsius natura explicationem petere cogimur, ne vocem sine interpretatione praetermittamus, ut plerumque faciunt, qui commentarios perpetuos ex aliorum libris conscribunt. Inclusum theatrum est theatrum ab aliis rebus circumdatum, sed a quibus? Si nexum cum antecedentibus respicimus, statim circus, qui proximum locum tenet, incidit in cogitationem. Fac igitur theatrum a circo inclusum esse, novaque difficultas ex rei ipsius natura oritur. Circi enim intus non vacui quidem, sed signis aliisque ornamentis erant decorati, nullum autem exemplum afferri poterit aedificii maioris in circo exstructi, quod spectatores manifesto prospectu prohibuisset. Restat igitur tantum ex antecedentibus duplex murus, qui theatrum includere potuit, idque a vero minime abhorrere putamus. Theatrum, circus ceteraque nova aedificia urbi veteri adiecta novo muro circumdata fuisse videntur.

*Palatinae arces.* Palatium apud seriores latinitatis auctores est sedes Imperatoris sive regia. Mediolani autem iam ante Ausonii tempora sedem habuerant Aureolus tyrannus et Imperator Maximianus; Ausonii tempore Valentinianus minor ibi habitabat, cuius mater Justina cum Ambrosio, celeberrimo Mediolanensi Archiepiscopo, atrocissimam controversiam de templis habuit, qua in controversia imperatoris maiestas et auctoritas mirum quantum episcopi gratia apud populum superata est<sup>30)</sup>.

*Moneta.* Retinimus in versione nomen latinum, quia vernaculum solum aedificium, ubi nummi percutiuntur, significat, latinum autem etiam templum Deae Monetae. Moneta cognomen est Junonis, a monendo ductum, ut ex loco Ciceroniano patet<sup>31)</sup>. Romae templum Junonis Monetae a Camillo conditum esse narrat Ovidius<sup>32)</sup>, a quo templo, in quo nummi percutiebantur, nomen monetae ad locum quemque, quo nummi signantur, translatum est.

*Herculei lavacri.* Lavacrum Herculeum Mediolani nomen suum minime ab Hercule ipso, sed ab Imperatore Maximiano conditore, qui Herculei sibi cognomen assumserat<sup>33)</sup>, accepit.

*Moeniaque in valli formam circumdata labro.* Veteres editiones legunt pro *labro limbo*, quod Wernsdorfius post alios reiecit, qui in textum recepit vocem *labro* in margine vestusti libri adscriptam. Labrum, quod graeco *χέλος* respondet, pro fossa cum aggere poni docet Forcellinius. Si probari posset, aquam ad fossam implendam ex Lambro fluvio, qui haud procul abest, ductam fuisse, pro *limbo* et *labro* legerem *Lambro*. *Lambrus* ille fluvius (hodie *Lambro*) a nullo veterum, quod sciam, praeter Plinium<sup>34)</sup> nominatus, per lacum Eupilim (Iago di Pusiano) in Padum defluit, hodieque fossa concisus est, quae ex *Addua* ducta est Mediolanum. Sed quis testimonium

28) Plin. Epist. Lib. IV, ep. 13.

29) Aurel. Vict. de Caesarib. c. 39.

30) Ambrosii Opera Tom. II, ep. 20 — 22. Sermo de Basilicis non tradendis.

31) Cic. de Divinat. II, 32.

32) Ovid. Fast. VI, 183.

33) Aurel. Victor de Caesar, 39.

34) Plin. Hist. Nat. III, 19.

in medium proferat, quo demonstratur, similiter iam Ausonii temporibus Lambrum in fossam Mediolaneusem ductum esse? In tabula geographica Reichardiana Mediolanum vetus propius quidem quam nunc ad Lambrum fluvium positum est; sed fossa ex Lambro ad muros urbis ducta non invenitur. Minime igitur in hac coniectura perseveramus, quam iudicio eorum, quibus facultas rei diligentius cognoscendae concessa est, libenter permittimus.

*Nec iuncta premit, vicinia Romae.* Haec verba in hanc sententiam accepta invenio, Mediolanum optime cum Roma vicina comparari potuisse, nec multo inferiorem apparuisse<sup>35)</sup>, sed mihi quidem sententiam longe diversam habere videntur. *Iuncta enim vicinia* est proxima et quasi continua vicinia, ut ex significatione verbi *iungere* apparet; Mediolanum autem ab urbe Roma remotius est. Poeta igitur dicere voluit: Mediolanum, quo longius ab Urbe remotum sit, eo magis splendere et excellere.

## VI. Capua.

<p>Nec Capuam, pelago, cultuque penaque potentem, Deliciis, opibus, famaue priore silebo,  Fortuna variante vices: quae freta secundis,  Nescivit servare modum. Nunc subdita Romae,  3. Aemula tunc: fidei memor, anne infida Senatum Sperneret, an coleret, dubitans, sperare curules Campanis ausa auspicii, unoque suorum  Consule, ut imperium divisi attolleret orbis.  Quin etiam rerum dominam, Latiique parentem  10. Appetiit bello, ducibus non freta togatis,  Hannibalis iurata armis: deceptaque in hostis  Servitium demens specie transivit herili.  Mox ut in occasum vitiis communibus acti  Corruerunt, Poeni luxu, Campania fastu,  13. (Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem)</p>	<p>Auch nicht Capua, mächtig durch's Meer und die Fülle des Landbau's, Anmuth, Schätz' und Ruhm der Vorzeit will ich verschweigen, Da das Geschick sich gewandt; sie, welche dem Glücke vertrauend, Mässigung nicht verstand. Nun dient sie Roma, mit der sie Damals gerungen. Noch schwankend, ob treu dem Senate, ob treulos, Ehre sie oder Verachtung bezeige, hat kühn sie gehoffet Auf die curulischen Sitze, wär' unter campa- nischer Hoheit Einer der Ihrigen Consul, um mitzubeherrschen den Erdkreis. Ja, der Beherrscherin selbst des Weltalls, Latium's Mutter, Trat sie entgegen mit Krieg, unrömischen Führern vertrauend, Schwörend zu Hannibals Waffen, und ist in die feindliche Knechtschaft Sinnlos übergegangen, betrogen vom Scheine der Herrschaft. Als in's Verderben sie bald, durch gemeinsame Fehler getrieben, Niederstürzten, durch Schwelgen die Poener, durch Stolz die Campaner, (Ach niemals ja erlangt die Hoffahrt bleibende Stätte!)</p>
---	---

35) Gibbon, cap. 13, Historiae Rom.

<p>Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam, Comere quae paribus potuit fastigia conis, <i>Octavum</i> reiecta locum vix pone tuetur.</p>	<p>Hat sie, mächtig und reich an Schätzen, ein anderes Rom einst, Welche mit gleicher Verzierung die Gipfel zu schmücken vermochte, Raum die <i>achte</i> der Stellen heruntergestossen behauptet.</p>
---	--

*Capua*, nobilissimum Campaniae oppidum, a Tuscis conditum et Vulturum appellatum est<sup>36</sup>). De nominis origine variae sunt veterum scriptorum sententiae. Livius a Capye, Samnitium duce, vel a campestri agro Capuae nomen ducit. Item a campo ducunt nomen Diodorus Siculus et Plinius<sup>37</sup>). Virgilius, more suo, Troianum Capyn auctorem nominis Capuae perhibet<sup>38</sup>). Servius et Festus a falcone nomen derivant, quem Campani capyn vocasse dicuntur. Apud Florum et Strabonem, qui Capuam a capite ducere putantur, magis agnominatio, quam derivatio nominis est<sup>39</sup>). Sed iam satis de nomine.

Capua, a Tuscis condita, C. Sempronio Atratino Q. Fabio Vibulano Coss. (qui annus est 420 a. Ch.) a Samnitibus, caesis antiquis incolis, capta est, eaque origo erat novae gentis Campanae. Hi Campani, bello cum Samnitibus de urbe Sidicina gesto fugati, in Romanorum deditionem venerunt M. Valerio Corvo III. A. Cornelio Cosso Coss. (540 a. Ch.)<sup>40</sup>). Paulo post, bello Latino, Capua a Romanis defecit, finitoque bello in civitatem Romanam recepti sunt equites Campani, ceteris autem Capuensibus civitas data est T. Veturio Calvino Sp. Postumio Albino Coss. (534 a. Ch.)<sup>41</sup>). Campani defecerunt denuo a Romanis post pugnam Cannensem, et a Cn. Fulvio Centumalo in Romanorum potestatem redactis civitas ademta est, quae M. Valerio C. Livio Coss. (a. 488 a. Ch.) iis reddita esse videtur<sup>42</sup>). Tandem C. Caesare M. Bibulo Coss. colonia civium Romanorum Capuam deducta est<sup>43</sup>).

*Pelago*. Capua non ad mare quidem sita erat, sed haud procul ab ora maritima, ad fluvium Vulturum, qui naves minores perfert, omnique amoenitate maritima et terrestri excellebat<sup>44</sup>).

*Cultuque penique potentem*. Copiam Capuae affluentem et fertilitatem agri Campani laudant omnes scriptores veteres maximeque Strabo.

*Aemula tunc*. Capuam ab ipsis Romanis aemulam imperii habitam esse testatur Cicero<sup>45</sup>).

*Fidei memor — dubitans*. Poeta his verbis indicat dubitationem Campanorum post pugnam Cannensem, quam Livius copiosius descripsit l. l.

36) Livius Lib. IV, 37, cf. Niebuhr Römische Geschichte I, Pag. 91. ed. 2.

37) Diodor. Sicul. XII, 31. Plin. Hist. Nat. III, 5.

38) Virg. Aeneid. X, 145.

39) Strab. Lib. V. Florus I, 16.

40) Liv. VII, 31.

41) Testes huius rei sunt Livius VIII, 14. Velleius I, 14, quorum dissensum dirimere a nostro consilio alienum foret. Jam alio loco de hac re disseruimus, eosque, qui accuratius rem cognoscere volent ad Niebuhrium (Tom. III, p. 166) et Wachsmuthium (die ältere Geschichte des römischen Staates) pag. 458 relegamus.

42) Liv. XXXVIII, 36.

43) Vellej. II, 44. Suetonius Caes. 20. Cicero in agraria II, huius coloniae saepius mentionem facit.

44) Cf. Liv. XXIII, 4.

45) Cic. de lege agraria orat. II, c. 32.

*Sperare curules — divisi attolleret orbis.* Fama erat apud Romanos, Campanos post pugnam Cannensem a Romanis postulasse, ut alter Consul Campanus fieret <sup>46)</sup>, quod si impetrassent, in societatem imperii receptos nemo negaret. *Curules* sc. sedes sunt honores sive magistratus, quorum insigne sella curulis erat.

*Campana auspicia* sunt auspicia, quae Consul e Campanis creatus habuisset. Auspicio- rum autem captandorum ius solos penes magistratus Romanos erat; Campana igitur auspicia documentum summi imperii cum Campanis communicati fuissent.

*Ut imperium attolleret.* Proprie fascies, ut submittuntur, sic quoque attolluntur. Hoc loco igitur a fascibus ad imperium translatum videtur hoc verbum.

*Latii parens* est Latii mater sive metropolis Roma. *Duces non togati*, sunt duces externi; togati duces enim sunt Romani, ducibus externis oppositi. *Togatus* etiam saepe pro urbano accipitur, opponiturque sagato, i. e. militari, quam quisque videt significationem a loco nostro alienam esse.

*Campania fastu.* Campanorum superbiam saepius vituperant scriptores Romani, maxime Cicero in oratione agrar. II, modo laudata <sup>47)</sup>.

*Roma altera.* Poeta utitur iisdem verbis, quibus Cicero dignitatem simul et arrogantiam Capuae indicat <sup>48)</sup>.


*Comere quae potuit — conis.* Sententiam huius loci, Capuae magnitudinem Romanae parem fuisse, Wernsdorfius uberius exposuit.

---

46) Liv. XXIII, 6. Silius Italic. XI, v. 59 seq. Cicero in Agraria II, 35 quoque narrat, id a Campanis postulatum esse, sed nulla temporis facta mentione. Similiter quondam Latini a Romanis postulaverunt, ut alter Consul ex Latio crearetur. Liv. VIII, 5.

47) Cap. 34.

48) Agrar. II, 32.



#### Druckfehler.

Ausser einigen Unrichtigkeiten in einzelnen Buchstaben und Interpunctszeichen:

Seite 4, Zeile 25, muss nach occupatura teneret wegfallen.

„ 8, „ 29, lies statt Gallicam — Gallica.